



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Benignitas quanta erga cunctos serua[n]da sit: vtq[ue] læto hilariq[ue]
vultu omnia molesta excipienda sint à quolibet homine. Cap. XLIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Benignitas quanta erga cunctos seruanda sit: utque leto hilarique vultu omnia molesta excipienda sint à quolibet homine.

CAPVT XLIV.

SAepe monitus, sæpius es admonendus, ut omni qua potes violentia caueas, Opera obedientia & tristitia vllum signum in te appareat vnde alius contristetur, aut quare peniteat quod te vocauerit. Cogita quod quicquid proximo facis, Christo facis. Noli ergo perdere meritum tuum, sed alacriter perfice cepta, nullam admittens discussionem vel tristitiã, ut in conscientia tua tu quoque possis consolari, quod hoc feceris, & alius non doleat (ut dixi) quod te in obsequium auxiliumve vocauerit. Quicquid enim tristis facis, aut turbulentus, atque inuitus, laborem quidem habes & grauamen, sed gratiam neque habes apud Deum, neque apud homines, quia inuitus facis. Secus tamen foret, si licet te sentias tristem atque inuitum, cogas tamen te ipsum ad faciendum quæ facienda sunt propter Deum, hoc est, ne pecces aut minus Deo placeas. Coge te semper ab intra ad dulcedinem & inuitam erga fratres. Quomodo tu non libenter haberes, quod aliquis tibi cum tristitia seruiret, imò pœniteret te quempiam huiusmodi vocasse, timeresque posthac in simili negotio ad eundem redire: ita tu quoque te alijs non inuoluntarium tristem ve exhibeas: sed eum interna sancta tristitia, id est, compunctione, recollectione, humilitate & sine leuitate. Ab extra hilaris, maturus & taciturnus esto, teque libenter impende cunctis fratribus, non tamen ingeras te non vocatum.

Solicitudo animi, erga res quas cuique siue infirmitates corporis, siue aliorum suspitiones aut timorem vanum, ut sit maximopere fugienda.

CAPVT XLV.

STude ut inter Deum & cor tuum nihil mediet. Cogita quod tu solus sis, & Dominus. Quando aliud incidit, tunc dic in corde: Nihil est eiusmodi. Solus Dominus est in cuius conspectu sto, qui me videt, amat, & seruat. Item: Non est seculum. Non est hoc vel illud &c. Cum nulla re disputare expedit aut contendere, sed simpliciter abijcere, ne curæ, phantasiæ, suspitionesque incidat. Pro nulla re penitus sollicitudo, anxiae cura est viro perfecto habenda. Pro nullo item corporali est defectu tristandum, sed curam tuam omnem in Dominum iactes, & ipse te entriet. Ipse tibi necessaria, ipse salutaria providebit, tantum credas confidasque tu illi & in pace eidem seruias. Porro si conscientia te